



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 103. Urbanus Grandierus virus ob Magiæ suspicionem combustus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII.
A. C. 1634.

§. CIII.

*Urbanus Grandierus vivus ob Magiæ
suspicionem combustus.*

*Mercur.
Franc. t. 20.
pag. 748.
Vassor de
Louis XIII.
lib. 8.
Hist. des
Diabl. du
London
Arbege
chronol. t. 3.*

Jam anno hujus sæculi trigesimo secundo Julioduni in Galliis quædam Religiosæ Virgines, quas Ursulinas vocant, a dæmonibus obsessæ, variisque maleficiis infectæ dicebantur: In criminis suspicionem vocabatur Urbanus Grandier Parochus in Juliodunensi Ecclesia ad S. Petrum, Vir, quo præstantior ingenio, eo minus Religione vales: erat quoque de incontinenti Magicisque artibus suspectus: Enimvero illa adhuc ætate hominum credulitatem sæpius dementabant jactatæ dæmonum possessiones, existimata sortilegia, & magiæ, quæ superstitione ceteris magis antiqua, magisque universalis a nonnullis vix non in Religionis partem vertebatur, ab aliis vero impacta Magiæ calumnia tanquam securum in hostes suos vindictam exerrentium medium adhibebatur: Utut sit, Energumenos, Magos, & veneficos possidari, Evangelium, ac primitivæ Ecclesiæ Sæcula tot exempla nobis suppeditant, ut id negare haud præsumamus. Nunc vero ad Juliodunenses Energumenos revertamur. Accerserantur

tur varii Ecclesiastici, qui ex earum Sæc. XVII.
 corporibus dæmones exturbarent, non A. C. 1634.
 deerant ex illis, qui has Virgines vere

malesicio infectas, atque a maligno
 hoste vexatas crederent, alii econtra
 illas non nisi misere deceptas dicebant;
 quippe dæmones ab exorcistis interro-
 gati barbaram oppido latinam pro-
 ferre credebantur, quinimo ipsum Beel-
 zebub latini sermonis ignorantiam per
 juvenilem ætatem suam excusasse, a-
 lium vero, dæmones quosdam ipsis
 rusticis rudiores esse, factum referebant:
 Hæc prorsus ridicula, si tamen vera,
 latentis fraudis suspicionem ingerere
 potuissent; nihilominus Surdisio Bur-
 degalensi Archiepiscopo injunctum, ut
 in hanc causam exactius inquireret,
 hic vero in incerto hærens, rem ad
 Richelium Cardinalem devolvit, qui
 Lodardemontio ex Senatoribus præci-
 puo negotium dedit, ut in rei verita-
 tem unacum aliis duodecim Deputatis
 sedulo indagaret: cum ergo dæmones,
 seu Moniales seductæ sæpius edicerent,
 magicis Grandieri artibus eas vexari,
 hinc judicium sententia, Mense De-
 cembri anni prioris Grandierus carceri
 dabatur, perlustratis postea cubiculi
 sui angulis libellus ab ipso contra cæ-
 libatum conscriptus, necnon varii cha-
 racteres, scripta & instrumenta ma-
 gica

A a a 2

Sæc. XVII. gica reperiabantur: demum vero ipse
 A. C. 1634. met Lodardemontius habita plena causæ
 cognitione ad Cardinalem Richelium Parisios contendit, ubi perlectis
 discussisque omnibus, quæ propoſuerat, hoc anno die octava Julii decimum
 in Grandierum utpote Magiæ reum ac Vexationum Monialibus inflictarum
 Auctorem capitali iudicio esse animadvertendum: Igitur causa rursus a præfatis
 Judicibus recognita, die decima octava Augusti Grandierus communi
 omnium Judicum sententia damnatus est, ut vivus unacum instrumentis suis
 magicis, præfatoque libello comburetur, cineresque per aerem spargentur. Percepta hujus sententiæ severitate
 Grandierus Minoritarum Guardianum Sorbonæ Doctorem sibi in Confessarium expetebat, ast repulsam passus,
 Franciscanum, quem sibi infensum credebat, admittere noluit, & ne quidem expiata noxarum conscientia
 pertinax rogum conscendit, cumque animam agere inciperet, insolite magnitudinis vespa miseri hujus caput
 circumvolitare visa est, an fortuito casu, vel infausi exitus indicio factum quis decidat? cuncta negare, in Philosopho
 studiosa iudicii perveritas cuncta credere in Christiano, superstitiosa animi levitas est.